Fryderyk II

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ
DECLARATIO
CONTRA
HOSTILEM RUSSORUM INVASIONEM
IN
PROVINCIAS
DITIONESQUE SUAS.

1757.

Neminem fugere poteſt, Sacram Borusſiæ Regis Majeſtatem, a primordiis inde Regni ſui, nihil magis in votis habuiſſe, nullamque magis operam navaſſe, quam ut transmiſſam ſibi a majoribus amicitiam Aulæ Imperialis Ruſſicæ ſibi quoque devinciret & per omnia officiorum genera excoleret. Contigit quoque illi, per complures annos arctisſimis amicitiæ vinculis cum Imperatrice Ruſſorum jamdum regnante conjungi, donec pernotæ illæ invidæ Aulæ, artibus ſuis clandeſtinis, eo rem perducerent, ut di-

vulſis exoptatiſſimis hiſce Unionis vinculis, Legati ab utraque parte avocarentur, & omne commercium inter Berolinenſem & Petropolitanam Aulam tolleretur.

Uti Sacra Boruſſiæ Regis Majeſtas hocce fatum ægerrime tulit, ita ab illo exinde tempore ſummo ſtudio eo allaboravit, ne aliquid porro accideret, quod vulnus hoc exacerbare, animumque Imperatricis a reconciliatione adhuc alieniorem reddere poſſet. Exortis quoque infelicibus illis belli flammis, quæ impræſentiarum Germaniam conflagrant, omnem lapidem movit, ne ulla ratione cum Rusſica Aula collideretur, licet non leves de ea querendi cauſas haberet & cuilibet notum ſit, Aulam Viennenſem eo perveniſſe, ut ipſa Rusſicam fœdifragis ſuis conatibus contra Borusſiæ Regem innodare, & ea tanquam Inſtrumento impotentis ſuæ ambitionis pro lubitu & pro re nata uti poſſet.

Univerſæ jam Europæ ex documentis omni exceptione majoribus perſpicuum eſt, Aulam Viennenſem & Saxonicam, Boruſſica arma injuſtis ſuis æque ac periculoſis conatibus provocaſſe. Satis ſuperque docuit Sacra Boroſſiæ Regis Majeſtas, arma hæc ſe non niſi pro ſui ſuorumque defenſione cœpiſſe; at declaravit eadem

repetitis

repetitis vicibus paratiſſimum arma ponendi animum, dummodo ſecuritati ſuæ conſuleretur. Detectæ quoque & in aprico poſitæ ſunt perniciosisſimæ illæ artes, quibus Viennenſis Aula uſa eſt, ut Ruſſicam in talia pertraheret conſilia, quæ ab excelſa Imperatricis indole valde aliena ſunt, quæque illa ſine dubio execratura eſſet, ſi veritati ad eam aditus pateret. Summo itaque jure, Imperatrix præſenti bello abſtinere potuiſſet, nec fœdus adimplere opus habuiſſet, quo Viennenſis Aula ad injuſtos ſuos fines aſſequendos abutitur. Imo Majeſtas Sua Regia Boruſſica hujuscemodi media Imperatrici propoſuit, quibus ignem belli uno momento ſine ulla ulteriori ſanguinis effuſione exſtinguere & immortalem majoremque regno ſuo gloriam conciliare potuiſſet, quam ab armis ei unqam ſperare licet.

Verum videt jamdum Sacra Majeſtas Borusſiæ magno cum dolore, artes inimicorum tandem ſuperaſſe & incaſſum cecidiſſe omnem qua uſa eſt moderationem, omniaque ſtudia, quæ pro conſervanda cum Rusſico Imperio pace impendit. Videt impræſentiarum, Rusſicam Aulam ſine necesſisate & ſine ulla accepta injuria, bello ſe immiſcere, cujus culpa unice penes Viennenſem Aulam eſt & neglectis omnibus amicitiæ vici-

niæ & fœderum ſecum initorum rationibus, copias ſuas per Territorium vicini Status neutri parti addicti, invito eo & contra tenorem pactorum publicorum hujusmodi tranſitum prohibentium mittere, ut in provincias Boruſſicas hoſtilem impetum faciant.

Nihil ergo Sacratisſimæ Boruſſiæ Regis Majeſtati ſupereſt, quam ut juſtam ſui ſuorumque defenſionem ſuſcipiat, omnesque a ſummo Numine acceptas vires impendat, ad tuendos ſubditos ſuos, & ad propulſandam vim injuſtam quæ ſibi imminet.

Regia ſua Majeſtas Boruſſica durante hoc infauſto bello, nunquam leges belli inter gentes moratiores receptas negliget, juxta ac hactenus Miles Boruſſicus in Saxonia ſeverisſimam diſciplinam obſervavit. Si vero contra ſpem meliorem, copiæ Ruſſicæ ad crudelitatem inuſitatasque violentias in ditionibus Boruſſicis progrederentur, eo caſu Regia ſua Majeſtas non poſſet, quin licet invita, parem vicem ditionibus ſubditisque Saxonicis reddat, eademque mala eis infligat, quæ ſuis, forſan inferri poſſent.

Argumenta illa, quæ Ruſſica Aula in medium profert ad excuſandam hoſtilem ſuam aggresſionem, brevi temporis ſpatio elidentur & quod reliquum eſt, Sacra

Boros-

Borusſiæ Regis Majeſtas, quæ in moderamine inculpatæ tutelæ verſatur, omnem ſpem fiduciamque ſuam in juſtitia cauſæ ſuæ collocat, nec dubitat, quin ſummum Numen juſtisſimis ſuis armis proſperos ſucceſſus impertiri & ſibi opem auxiliumque adferre velit, ad perfringendos hoſtium injuſtos conatus, ſubditosque ſuos tuendos.